

Mendacium. Locutio contra mentem. "Ratio mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi. Unde et mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur (S. Th.)."

CONTRACTUS. Definitur contractus communiter ab auctoribus. Duorum vel plurium in idem consensus signo sensibili manifestatus, parsens obligationem saltem in uno contrahentium. Dicitur *consensus*, quia sine consensu vel expresso, vel implicito (ut in eo qui suscipit aliquod officium, cui connectuntur aliquae obligationes, ut in paroco) non datur contractus. Agitur enim de *obligatione* libere assumpta a voluntate et quae propterea sine consensu voluntatis nequit intelligi. Dicitur *duorum* vel plurium, quia ad seipsum non datur contractus. Dicitur *parsens obligationem*, sive solummodo naturalem, sive etiam civilem, quia per libertatem contractus aliquis sibi imponit legem naturalem solvendi *promissa* erga alteram partem contrahentem. Dicitur *saltem in uno contrahentium*, quia ad rationem contractus in genere pertinet quidem *obligatio*, sed non *obligatio mutua*, quae est propria aliqujus contractus specificè accepti. Dividuntur contractus in *nominatos* et *innominatos*, *bilaterales* et *unilaterales*, *onerosos* et *gratuitos*, *stricti juris* et *bonae fidei*.

Contractus bilateralis seu **synallagmaticus** est ille qui parit utilitatem et obligationem in utroque contrahente, ut *emptio*, *locatio*, etc.

Contractus unilateralis ille est qui parit utilitatem in uno solo contrahentium et in altero obligationem, qualis est *commodatum*, *pignus* etc.